

detur; quodque adeo querenti, cur, aut quamobrem, vel propter quid aliquid sit, causæ, vel rationis loco allegatum, satisfacit. Itaque definitur quidem hæc causa, spectata ratione sui usus, quem in docendo habet.

§. 6. Alias vero eadem in se sumpta est, id ipsum, quo necessario ad aliquid prærequisito, ac existente, etiam istud esse necessarium est, ad quod illud necessario prærequiritur.

§. 7. Quarum descriptionum mediæ præsertim illustrandæ illud inservire potest, quod Aristoteles de diversitate quæstionum, quæ incidunt, ac tractantur in disciplinis, definiunturque certis argumentis, scientiam gignentibus, tradit. *Quæstionum*, inquit, *tot sunt, quot rerum, quæ sciuntur, genera. Quatuor autem generibus continentur omnes quæstiones: An ita sit, Cur ita sit, Sit, necne, & Quid sit.* II. Post. c. I. p. 98. A. Seu, ut ordine (quem ipse Aristoteles postea indicat) & paulo explicatius dicam: queri de re quavis, ac disputari solet: primo, An ea (qualicumque descriptione tantisper expressa) sit, ac num detur, vel existat, annon? tum, Quid ea sit, & ex quamam entium classe, aut genere? dehinc, Qualis ea sit, ratione suorum, seu essentialium, seu accidentalium, seu intrinsecorum, seu extrinsecorum prædicatorum; atque adeo speciatim, ac determinate (ratione hujus, vel istius prædicati) Sitne ita, annon? denique (si ita sit) Cur, aut quamobrem, vel undenam, aut ex qua causa ita sit? Quarum proinde quæstionum tertia quartam plerumque secum trahit; quemadmodum Aristoteles exemplo declarat, cum pergit loco adducto: *Cum enim querimus, sitne hoc aut illud, verbi gratia, an sol deficiat, annon; tum sit quæstio, an ita sit. --- Statim vero ubi invenimus, deficere solem, conquiescimus: Et si jam ab initio sciremus, deficere solem, non quereremus, an ita sit. Postquam autem, quod ita sit, cognovimus, proximum est, ut, quamobrem ita sit, investigemus. Et postquam scimus, aut solem deficere, aut terræ motum fieri, tum deinde querimus, quam ob causam deficiat, & quæ sit terræ motus causa.* Adeo ut jam per Causam demonstrativam id intelligamus, quod ad quæstionem propter quid recte expediendam dicta ratione facit. Soletque ea ita alias ab isto, cujus

jus